

1. Původ individuální duše

De princ., praefatio, 5 (SC 252, 84): De anima vero utrum ex seminis traduce ducatur, ita ut ratio ipsius vel substantia inserta ipsis corporalibus seminibus habeatur, an vero aliud habeat initium, et hoc ipsum initium si genitum est aut non genitum, vel certe si extrinsecus corpori inditur, necne: non satis manifesta praedicatione distinguitur.

Comm. Cant. II,5,22-23 (SC 375, 366-368): Sed et iuxta quorundam quaestiones utrum facta an omnino a nullo sit facta; et, si facta sit, quomodo facta sit, utrum, ut putant aliqui, in semine corporali etiam ipsius substantia continetur et origo eius pariter cum origine corporis traducitur, an perfecta extrinsecus veniens parato iam et formato intra viscera muliebria corpore induitur. Et si ita sit, utrum nuper creata veniat et tunc primum facta, cum corpus videtur esse formatum, ut causa facturae eius animandi corporis necessitas extitisse credatur, an prius et olim facta ob aliquam causam ad corpus sumendum venire aestimetur; et si ex causa aliqua in hoc deduci creditur, quae illa sit causa, ut agnosci possit, scientiae opus est.

2. Stvoření a rozrůznění rozumných bytostí

De princ. II,9,1-2 (SC 252, 352-356): In illo ergo initio putandum est tantum numerum rationabilium creaturarum vel intellectualium, vel quoquomodo appellandae sunt quas mentes superius diximus, fecisse deum, quantum sufficere posse prospexit. Certum est enim quod praedefinito aliquo apud se numero eas fecit; non enim, ut quidam volunt, finem putandum est non habere creaturas, quia ubi finis non est, nec conpraehensio ulla vel circumscriptio esse potest. Quodsi fuerit, utique nec contineri vel dispensari a deo quae facta sunt poterunt. Naturaliter nempe quidquid infinitum fuerit, et inconpraehensibile erit. Porro autem sicut et scriptura dicit, numero et mensura universa condidit deus (Sap 11,21), et idcirco numerus quidem recte aptabitur rationabilibus creaturis vel mentibus, ut tantae sint, quantae a providentia dei et dispensari et regi et contineri possint. Mensura vero materiae corporali consequenter aptabitur; quam utique tantam a deo

creatam esse credendum est, quantam sibi sciret ad ornatum mundi posse sufficere. ...

Verum quoniam rationabiles istae naturae, quas in initio factas supra diximus, factae sunt cum ante non essent, hoc ipso, quia non erant et esse coeperunt, necessario convertibiles et mutabiles substiterunt, quoniam quaecumque illa inerat substantiae earum virtus, non naturaliter inerat sed beneficio conditoris effecta. Quod sunt ergo, non est proprium nec sempiternum, sed a deo datum. Non enim semper fuit, et omne quod datum est, etiam auferri et recedere potest. Recedendi autem causa in eo erit, si non recte et probabiliter dirigatur motus animorum. Voluntarios enim et liberos motus a se conditis mentibus creator indulxit, quo scilicet bonum in eis proprium fieret, cum id voluntate propria servaretur; sed desidia et laboris taedium in servando bono et aversio ac negligentia meliorum initium dedit recedendi a bono. Recedere autem a bono non aliud est quam effici in malo. Certum namque est malum esse bono carere. Ex quo accidit, ut in quanta mensura quis devolveretur a bono, in tantam mensuram malitiae deveniret. In quo utique pro motibus suis unaquaeque mens vel amplius vel parcius bonum negligens in contrarium boni, quod sine dubio malum est, trahebatur. Ex quo videtur semina quaedam et causas varietatis ac diversitatis ille omnium conditor accepisse, ut pro diversitate mentium, id est rationabilium creaturarum (quam diversitatem ex ea causa quam superius diximus putandae sunt concepisse), varium ac diversum mundum crearet. Quod autem dicimus varium ac diversum, hoc est quod volumus indicare.

De princ. II,9,6 (SC 252, 364-366): Verum quoniam rationabiles ipsae creaturae, sicut frequenter ostendimus et in loco suo nihilominus ostendemus, arbitrii liberi facultate donatae sunt, libertas unumquemque voluntatis suae vel ad profectum per imitationem dei provocavit vel ad defectum per negligentiam traxit. Et haec extitit, sicut et antea iam diximus, inter rationabiles creaturas causa diversitatis, non ex conditoris voluntate vel iudicio originem trahens sed propriae libertatis arbitrio.

De princ. II,9,7 (SC 252, 370): Quae, ut mihi videtur, ita demum lucidius ostendetur, si causas diversitatis unusquisque vel caelestium vel terrestrium vel infernorum in semet ipso praecedentes nativitatem corpoream habere dicatur. Verbo enim dei et sapientia eius creata sunt universa, et per ipsius sunt ordinata iustitiam. Per gratiam vero misericordiae suae omnibus

providet atque omnes quibuscumque curari possunt remediis hortatur et provocat ad salutem.

3. Pád duše ochladlice

De princ. II,8,3 (SC 252, 344-346): Sicut ergo „deus ignis est“ (Hebr 12,29; Deut 4,24), et angeli flamma ignis, et sancti quique „spiritu ferventes“ (Rom 12,11): ita e contrario hi, qui deciderunt a dilectione dei, sine dubio refrixisse in caritate eius ac frigidi effecti esse dicendi sunt. Ait enim et dominus quia pro eo quod multiplicata est iniquitas, „refrigescet caritas multorum“ (Matth 24,12). Sed et omnia ea, quaecumque sunt quae adversae potestati in scripturis sanctis comparantur, frigida semper invenies. Serpens namque et draco diabolus dicitur (Apoc 12,9; 20,2): quorum quid frigidius invenitur?

De princ. I,3,8 – I,4,1 (SC 252, 164-168): Si autem aliquando satietas cepit aliquem ex his, qui in summo perfecto que constiterunt, gradu, non arbitror quod ad subitum quis evacuetur ac decidat, sed paulatim et per partes defluere eum necesse est (ita ut fieri possit interdum, si brevis aliquis lapsus acciderit, ut cito respiscat atque in se revertatur), non penitus ruere, sed revocare pedem et redire ad statum suum ac rursus statuere posse id, quod per negligentiam fuerat elapsum.

Ut autem istam deminutionem vel lapsum eorum, qui se negligentius egerint, ostendamus, etiam similitudine alicuius exempli uti non videtur absurdum. Igitur si sit aliquis qui peritia vel arte, verbi gratia geometriae aut medicinae, paulatim fuerit inbutus usquequo pervenerit ad perfectum, multo scilicet tempore institutionibus atque exercitiis semet ipsum informans, ut ad integrum supradictae artis assumeret disciplinam: huic numquam profecto accidere poterit, ut cum peritus dormierit, evigilet imperitus. Non enim ea, quae per laesionem aliquam vel debilitatem accidunt, in medium adducere aut commemorare nunc convenit; neque enim similitudini propositae exemplo que conveniunt. Secundum id ergo, quod proposuimus, geometres ille vel medicus donec exercet se in meditationibus artis suae et rationabilibus institutis, permanet apud eum etiam scientia disciplinae; si vero dissimulet ab exercitiis et neglegat ab industria, paulatim per negligentiam primo pauca excidunt, tum deinde etiam plura, et ita per multum tempus abeunt omnia in oblivionem, atque universa ex memoria penitus abolentur. Potest sane fieri, ut cum decidere ab initio coeperit et parva adhuc corrumpi negligentia, si

resuscitetur et citius in semet ipsum revertatur, reparet ea, quae adhuc nuper amissa sunt, et recolat ea, quae ab eo fuerant tenui adhuc abolitione sublata. Transferamus nunc haec ad eos, qui dei se scientiae ac sapientiae dederunt, cuius eruditio atque industria incomparabilibus omnes reliquas disciplinas supereminet modis, et secundum propositae similitudinis formam vel quae sit adsumptio scientiae, vel quae sit eius abolitio contemplemur; maxime cum audiamus ab apostolo quod de perfectis dicitur, quia facie ad faciem gloriam domini ex mysteriorum revelationibus specularuntur (I Cor 13,12).

De princ. I,8,4 (SC 252, 232): Illa sane nos nequaquam recipienda censemus, quae a quibusdam superfluo vel perquiri vel adstrui solent, id est quod animae in tantum sui decessum veniant, ut naturae rationabilis ac dignitatis oblatae etiam in ordinem irrationabilium animantium vel bestiarum vel pecudum devolvantur; pro quibus etiam quasdam ex scripturis commentitias afferre adstructiones solent, id est quod vel pecus, cui se mulier contra naturam subiecerit, in reatum pariter cum muliere devocetur ac lapidari pariter iubeatur (Lev 20,16), vel quod taurus cornipeta lapidari nihilominus praecipitur (Ex 21,28); sed et quod Balaam asina, os eius deo aperiente, locuta est, et subiugale mutum in hominum voce respondens arguit prophetae dementiam (Num 22,28-30).

4. Svět zahrnuje rozrůzněné rozumné bytosti, je proniknut božskou prozřetelností

De princ. II,1,1-3 (SC 252, 234-238): In quo hoc primum evidenter apparet, quod omnis status eius, qui est varius ac diversus, ex rationabilibus et divinatoribus naturis et ex diversis corporibus constet, sed et ex mutis animantibus, id est feris bestiis et pecudibus et avibus atque omnibus, quae in aquis vivunt, tum deinde ex locis, id est caeli vel caelorum et terrae vel aquae, sed et ex eo qui medius est aere, vel quem aetherem dicunt, atque ex omnibus, quae procedunt vel nascuntur ex terra. Cum ergo tanta sit mundi varietas, atque in ipsis rationabilibus animantibus sit tanta diversitas, propter quam etiam omnis reliqua varietas ac diversitas putanda est extitisse: quam causam aliam dici oportebit qua mundus extiterit, praecipue si intueamur illum finem, per quem omnia restituenda in statum initii sui libro superiore dissertum est; quod utique si consequenter dictum videtur, quam aliam, ut diximus, causam putabimus tantae huius mundi diversitatis, nisi diversitatem ac varietatem

motuum atque prolapsuum eorum, qui ab illa initii unitate atque concordia, in qua a deo primitus procreati sunt, deciderunt et ab illo bonitatis statu commoti atque distracti, diversis dehinc animorum motibus ac desideriiis agitati, unum illud et indiscretum naturae suae bonum pro intentionis suae diversitate in varias deduxerunt mentium qualitates?

Deus vero per ineffabilem sapientiae suae artem omnia, quae quoquomodo fiunt, ad utile aliquid et ad communem omnium transformans ac reparans profectum, has ipsas creaturas, quae a semet ipsis in tantum animorum varietate distabant, in unum quendam revocat operis studii que consensum, ut diversis licet motibus animorum, unius tamen mundi plenitudinem perfectionem que consumment, atque ad unum perfectionis finem varietas ipsa mentium tendat. Una namque virtus est, quae omnem mundi diversitatem constringit et continet atque in unum opus varios agit motus, ne scilicet tam inensum mundi opus discidiis solveretur animorum. Et propter hoc opinamur parentem omnium deum pro salute universarum creaturarum suarum per ineffabilem verbi sui ac sapientiae rationem ita haec singula dispensasse, ut et singuli quique spiritus vel animi, vel quoquomodo appellandae sunt rationabiles subsistentiae, non contra arbitrii libertatem vi in aliud quam motus mentis suae ageret cogerentur, et per hoc adimi ab his videretur liberi facultas arbitrii (quod utique qualitatem iam naturae ipsius inmutabat), et diversi motus propositi earum ad unius mundi consonantiam competenter atque utiliter aptarentur, dum aliae iuvari indigent, aliae iuvare possunt, aliae vero proficientibus certamina atque agones movere, in quibus eorum probabilior haberetur industria et certior post victoriam reparati gradus statio teneretur, quae per difficultates laborantium constitisset.

Quamvis ergo in diversis sit officiis ordinatus, non tamen dissonans atque a se discrepans mundi totius intellegendus est status; sed sicut corpus nostrum unum ex multis membris aptum est et ab una anima continetur, ita et universum mundum velut animal quoddam inensum atque inmane opinandum puto, quod quasi ab una anima virtute dei ac ratione teneatur.

5. Hvězdy jsou také rozumné bytosti

De princ. I,7,3-4 (SC 252, 212-216): Sed ut manifestius hoc intellegi possit, etiam illud primo debemus inquirere, si animantia haec esse et rationabilia intellegi fas est; tum deinde utrum animae ipsarum pariter cum ipsis corporibus extiterint, an anteriores corporibus videantur; sed et post

consummationem saeculi si intellegendum est eas relaxandas esse corporibus, et sicut nos cessamus ab hac vita, ita etiam ipsae a mundi inluminacione cessabunt. Quamvis haec inquirere audaciae cuiusdam videatur, tamen quoniam captandae veritatis studio provocamur, quae possibilia nobis sunt secundum gratiam spiritus sancti scrutari et pertemptare non videtur absurdum.

Putamus ergo posse ea per hoc animantia designari, quod et mandata dicuntur accipere a deo, quod utique non nisi rationabilibus animantibus fieri solet. Ait ergo mandatum: „Ego autem omnibus stellis praecepi“ (Is 45,12). Quae sunt autem ista praecepta? scilicet ut unumquodque astrum suo ordine suis que cursibus indultae sibi quantitatis splendorem praebeant mundo. Alii enim hi, qui vocantur planetae, moventur ordinibus, aliis hi, quod ἀπλανεῖς vocant. In quo illud manifestissime ostenditur, quod neque motus ullius corporis sine anima effici potest, neque quae animantia sunt, possunt aliquando esse sine motu. Stellae vero cum tanto ordine ac tanta ratione moveantur, ut in nullo prorsus aliquando cursus earum visus sit impeditus, quomodo non ultra omnem stoliditatem est tantum ordinem tantam que disciplinae ac rationis observantiam dicere ab inrationabilibus exigi vel expleri? ...

Iam vero ea, quae animantia esse et rationabilia consequentia disputationis invenit, utrum cum corporibus pariter animata videantur eo in tempore, cum dicit scriptura quia "fecit deus duo luminaria magna, luminare maius in principatum diei et luminare minus in principatum noctis, et stellas" (Gen 1,16), an non cum ipsis corporibus, sed extrinsecus factis iam corporibus inseruerit spiritum, pervidendum est. Ego quidem suspicor extrinsecus insertum esse spiritum, sed operae pretium videbitur de scripturis hoc ostendere. Nam per coniecturam facilis assertio esse videbitur, scripturarum autem testimoniis utique difficilius adfirmatur. Nam per coniecturas ita possibile est ostendi. Si hominis anima, quae utique inferior est, dum hominis est anima, non cum corporibus ficta, sed proprie et extrinsecus probatur inserta, multo magis eorum animantium, quae caelestia designantur. Nam quantum ad homines spectat, quomodo cum corpore simul ficta anima videbitur eius, qui „in ventre fratrem suum subplantavit“ (Os 12,3), id est Iacob? Aut quomodo simul cum corpore ficta est anima vel plasmata eius, qui adhuc in ventre matris suae positus, repletus est spiritu sancto? Iohannem dico tripudiantem in matris utero, et magna se exultatione iactantem pro eo quod salutationis vox Mariae ad aures Elisabeth suae matris advenerat (Luc 1,41). Quomodo simul cum corpore ficta est et plasmata etiam illius anima,

qui antequam in utero formaretur, notus esse dicitur deo, et antequam de vulva procederet, sanctificatus ab eo est (Jer 1,5)? Ne forte non iudicio neque pro meritis replere aliquos videatur deus spiritu sancto et sanctificare non merito. ... Hoc enim consequitur eam defensionem, quae animas subsistere simul cum corporibus adseverat. Quantum ergo ex conparatione humani status conici potest, consequens puto multo magis haec de caelestibus sentienda, quae etiam in hominibus ratio ipsa et scripturae auctoritas videtur ostendere.

6. Duše zvířat

De princ. II,8,1 (SC 252, 336-338): ... Ex communi vero rationis intelligentia confirmatur etiam ab his, qui definitionem animae certis determinant verbis. Definitorum namque anima hoc modo, quia sit substantia φανταστική et όρμητική, quod latine, licet non tam proprie explanetur, dici tamen potest sensibilis et mobilis. Quod utique convenit etiam de omnibus animalibus dici et his, quae in aquis degunt; sed et in volucris eadem definitio animae convenienter ostenditur. Addit sane scriptura etiam alterius sententiae auctoritatem, cum dicit: „Non manducabitis sanguinem, quia anima totius carnis sanguis eius est“ (Lev 17,14), et „non manducabitis animam cum carnibus“ (Deut 12,23); in quo evidentissime sanguinem omnium animalium animam ipsorum esse designat. Iam vero si quis requirat, quoniam animam omnis carnis sanguinem eius esse dixit, de apibus et vespis et formicis sed et de his, quae in aquis sunt, ostreis vel cocleis et quaecumque sunt alia, quae carent sanguine et esse animantia manifestissime demonstrantur: respondendum est quoniam in huiusmodi animantibus quam in ceteris vim habet rubri sanguinis vigor, hanc vim obtinet in istis humor ille, qui inest in eis, licet alterius sit coloris; nihil enim refert, qui sit color, dummodo substantia sit vitalis. De iumentis vero vel pecudibus quod animantia sint, etiam apud communem opinionem nulla dubitatio est. Evidens tamen est et scripturae divinae sententia, cum dicit deus: „Producat terra animam vivam secundum genus, quadrupedia et reptantia et bestias terrae secundum genus“ (Gen 1,24). Iam vero de homine quamvis nulli dubium sit nec requirere aliquis possit, tamen et scriptura divina designat quod „deus in faciem eius inspiraverit spiramentum vitae, et factus sit homo in animam vivam“ (Gen 2,7).

7. Mysl neroste místně, není tělesná

De princ. I,1,6-7 (SC 252, 102-106): Sed nec magnitudine corporali mens indiget, ut agat aliquid vel moveatur, sicut oculus, cum in maiora quidem corpora intuendo diffunditur, ad parva vero et exigua coartatur et adstringitur ad videndum. Indiget sane mens magnitudine intellegibili, quia non corporaliter, sed intellegibiliter crescit. Non enim corporalibus incrementis simul cum corpore mens usque ad vicesimum vel tricesimum annum aetatis augetur, sed eruditionibus atque exercitiis adhibitis acumen quidem elimatur ingenii, quaeque sunt ei insita ad intellegentiam provocantur, et capax maioris efficitur intellectus non corporalibus incrementis aucta, sed eruditionis exercitiis elimata. Quae idcirco non statim a puero vel a nativitate recipere potest, quia invalida adhuc et inbecilla membrorum conpago, quibus velut organis ad exercitium sui mens utitur, neque operandi vim sustentare valet neque percipiendae disciplinae exhibere sufficit facultatem.

Si qui autem sunt qui mentem ipsam animam que corpus esse arbitrentur, velim mihi responderent, quomodo tantarum rerum, tam difficilium tam que subtilium, rationes assertiones que recipiat. Unde ei virtus memoriae, unde rerum invisibilium contemplatio, unde certe incorporealium intellectus corpori inest? Quomodo natura corporea disciplinas artium, rerum contemplationes rationes que rimatur? Unde etiam divina dogmata, quae manifeste incorporea sunt, sentire atque intellegere potest? Nisi si forte aliquis putet quod, sicut forma ista corporea et habitus ipse aurium vel oculorum confert aliquid ad audiendum et ad videndum, et ut singula membra, quae a deo formata sunt, habent aliquid oportunitatis etiam ex ipsa formae qualitate ad hoc, quod agere naturaliter instituta sunt: ita etiam habitum animae vel mentis intellegi debere arbitretur quasi apte accommode que formatum ad hoc, ut de singulis sentiat vel intellegat atque ut vitalibus motibus moveatur. Verum qualem colorem mentis secundum hoc, quod mens est et intellegibiliter movetur, describere quis posset aut dicere, non adverto.

Adhuc ad confirmationem atque explanationem eorum, quae de mente vel anima diximus, eo quod praestantior sit totius naturae corporeae, etiam haec addi possunt. Unicuique corporeo sensui substantia quaedam sensibilis subiacet proprie, in quam ipse sensus corporalis intenditur. Verbi gratia, visui subiacent colores habitus magnitudo, auditui voces et

sonus, odoratui nidores boni vel mali, gustui sapes, tactui calida vel frigida, dura vel mollia, aspera vel levia. Horum autem sensuum, de quibus supra diximus, quia multo melior sensus sit mentis, omnibus clarum est. Quomodo ergo non videtur absurdum, his quidem, quae inferiora sunt, substantias esse subiectas ad intendendum. huic autem virtuti, quae melior est, id est mentis sensui, nihil omnino subici substantiale, sed esse intellectualis naturae virtutem corporalibus accidentem vel consequentem? Quod qui dicunt, sine dubio in contumeliam eius substantiae, quae in ipsis melior est, haec proferunt; immo vero ex hoc etiam ad ipsum deum refertur iniuria, cum putant eum per naturam corpoream posse intellegi, quo scilicet secundum ipsos corpus sit et illud, quod per corpus potest intellegi vel sentiri; et nolunt hoc intellegi, quod propinquitas quaedam sit menti ad deum, cuius ipsa mens intellectualis imago sit, et per hoc possit aliquid de deitatis sentire natura, maxime si expurgatior ac segregatior sit a materia corporali.

8. Je stvoření věčné?

De princ. I,4,4-5 (SC 252, 170-172): Sed rursus in hoc humana intellegentia hebetatur atque constringitur, quomodo possit intellegi semper ex quo deus est fuisse etiam creaturas et sine initio, ut ita dixerim, substitisse eas, quae utique sine dubio creatae esse atque a deo factae credendae sunt. Cum ergo haec inter se humanarum cogitationum atque intellectuum pugna sit, rationibus utrobique validissimis occurrentibus ac repugnantibus et contemplantis sensum in partem suam quamque torquentibus, nobis pro exiguo ac brevissimo sensus nostri captu illud occurrit, quod sine omni pietatis periculo confitendum est: deum quidem patrem semper fuisse, semper habentem unigenitum filium, qui simul et sapientia secundum ea, quae supra exposuimus, appellatur. Haec ergo ipsa est sapientia, cui semper adgaudebat deus orbe perfecto, ut per hoc etiam semper laetari intellegatur deus. In hac igitur sapientia, quae semper erat cum patre, descripta semper inerat ac formata conditio, et numquam erat quando eorum, quae futura erant, praefiguratio apud sapientiam non erat.

Et hoc modo fortassis pro nostra infirmitate pium aliquid de deo sentire videbimur, ut neque ingenitas et coaeternas deo creaturas dicamus, neque rursus cum nihil boni prius egerit deus, in id ut ageret esse conversum; cum verus sit ille sermo, qui scriptus est quia „omnia in sapientia fecisti“ (Ps 103,24). Et si utique in sapientia omnia facta sunt, cum sapientia

semper fuerit, secundum praefigurationem et praeformationem semper erant in sapientia ea, quae protinus etiam substantialiter facta sunt. Et hoc opinor Salomonem sentientem vel intelligentem dicere in Ecclesiaste: „quid est quod factum est? hoc ipsum quod futurum est; et quid est quod creatum est? hoc ipsum quod creandum est. Et nihil recens sub sole. Si quis quid loquetur et dicet: ecce novum est hoc, iam fuit id in saeculis, quae fuerunt ante nos“ (Eccl 1,9 s.). Si ergo singula, quae sub sole sunt, fuerunt iam in illis saeculis, quae fuerunt ante nos, cum nihil recens sit sub sole, sine dubio omnia vel genera vel species fuerunt semper, et fortassis etiam per singula. Verum tamen omnimodo hoc est, quod ostenditur, quod non deus conditor aliquando esse coeperit, cum ante non fuerit.